



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 132. Summi vero Sacerdotes & omne consilium quærebant aduersus
Iesum testimonium, vt eum morti traderent. v. 55.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

allo quor matres, allo quor omnes, quibus incumbit aut educandi cura aut officium regendi. Cauete obsecro vestris à foco otioso, intendite colloquijs eorum qui adfident illis, necessaria quidem res est in frigidis regionibus focus, sed & nisi prudens sit usus saepe valde noxia & periculosa multa ad focum contigerunt, quæ fuerunt deploranda apud pænitentiae locum; multa apud ignem, quæ restinguenda fuerunt aqua ex cerebro expressa. Non est opus vos alio ire, S. Petrum videre, iste vir, iste Prælati, iste senex, iste designatus Papa apud focum quomodo perijt!

S. 132. *Summi vero Sacerdotes & omne consilium quarebant aduersus Iesum testimonium, ut eum morti traderent. v. 55.*

Vidimus initia S. Petri & in eius persona Discipulorum Christi modulum, qui non erant de statu Ecclesiastico eius temporis, neque Academico neque ciuili, sed extra synagogam causa Christi. Iam videamus etiam quomodo se gerunt status ipsi supra nominati. Historicus facer ait: Omne concilium nempe ex Sacerdotali, Doctorali & Politico ordine ac statu conflatum, quod vocari solet *Plenum*, cum singuli & omnes sub iuramento citantur ad comparandum & consultandum; comitia nominant Latini, *Diætam* alij & *synodum*, alij *Capitulum*, seu *Congregationem*; in quibus hoc solet reperiri valde proficuum, quod in concilijs ex plurimarum personarum sapientia, experientia & prudentia, fiat vnus quodammodo intellectus; & ex plurius voluntate & arbitrio fiat vnum arbitrium & voluntas, & consequenter vna conficitur potestas; si igitur accesserint personæ bonæ voluntatis, paratæ discere quod nesciunt, amare quod est bonum, odisse quod est malum, communicare quod sciunt, non plus sapere, quam oportet. Bonum erit Concilium, bona synodus, bona comitia, bonum capitulum; alias malum vti his, vbi omnes qui conuenerunt ad synodum fuerunt insipientes corde pariter, & ideo concorditer vnā fecerunt intelligentiam, siue potius ignorantiam, & pariter vnā peruersitatem, & vnū homicidium.

O Deus auerte hanc malitiam ab his qui conveniunt ad synodos & concilium aliquod, ne eo velint venire determinati ad malitiam, non solum apertam, sed nec implicitam, in suo proprio iudicio vel passionibus vel affectibus, hæc enim excæant, vti isti in concilio Iudaico excæcati fuerunt à suis passionibus. Sed culpabiliter, sed vincibiliter, & crasse, affectare. Hinc illa inquisitio Testium falsorum, & verba ad confidentem proditorem; *Tu videris. &c.* omnia secuta.

M

S. 133.